

XVIII. SEGESTA (prope Calatafimi).

(Cf. C. I. Gr. 5542—5548 cum add. p. 1249.)

Σέγεστα vel Σέγεστα in nummis ipsorum antiquissimis, Segesta Latine, Ἐγεστα Graece dicta urbs quod secundum antiquissimam famam (Thucyd. 6, 2) ex Ilio originem trahebat et bello Punico primo societate cum Roma facta obsidionem Carthaginiensium fortiter sustinuit (Polyb. 4, 24; Zonar. 8, 11; vol. I n. 195), postquam Romani insula potiti sunt, tam fano Veneris Erycinae, quod quodammodo ipsorum fuisse vidimus (p. 747, quam ipsis egregiam condicionem attulit. Nam ad foedus quidem non admissi sunt ut Mamertini et Tauromenitani, sed manserunt liberi et immunes (Cicero Verr. 3, 6, 13, c. 40, 92. 4, 33, 72. 5, 32, 83. c. 47, 125) maximique iis et optimi agri a Romanis concessisunt (Cic. Verr. 5, 47, 125), ut adeo probabile sit rem publicam Erycinorum a Romanis sublatam esse, ut territorium Segestanis attribueretur. Denique ius Latii impetrarunt ante quam Caesar dictator id

Siculis universis concessit (Plinius 3, 8, 91 cf. supra p. 713). Ad civitatem Romanam pervenerint necesse est una cum reliquis Siculis lege sive Iulia sive Antonia. — Tituli antiquiores Segestae inventi ut omnes Graece scripti sunt, ita Graecus sine dubio is quoque fuit cuius meminit Cicero Verr. 4, 34, postquam narravit Dianae simulacrum ex aere olim Segestae dedicatum quomodo Carthaginienses inde abductum Carthaginem transtulerint, Carthagine eversa P. Scipio antiquis dominis restituerit: *haec erat posita Segestae sane excelsa in basi, in qua grandibus litteris P. Africani nomen erat incisum eumque Carthagine capta restituisse perscriptum.* Vel sub Augusto, cum Segestani aut Latini iuris essent aut cives Romani, nummos cum capite imperatoris emiserunt inscriptos Graece Ἐγεσταίων (Eckhel 4, 237). At in unico quem ex Segesta habemus aetatis imperatoriae titulo loquuntur Latine.

7263 in epistyllo scriptum litteris quadratis magnis vetustis. Segestae repertum iacet inter rudera.

de|VI · F · DEIVO · L · SE|pronius?

Descripsi indicatam mihi ab amico Salinas.

Intellegitur sine dubio Augustus. Contra consuetudinem Romanam qui dedicavit natione Graecus deo patrem adscripsit; neque enim sollemne est consecrati patrem licet deum et ipsum enuntiare.

XIX. Partinico.

7264 urna. Ciambre supra Parthenicum in sacrario templi Casinensium GVALT. Monreale in monasterio AVRIA. — Alcamì MVR. errore.

AELIAE · AVGe
CONIVGI
SANCTISSIMAE
P · AELIVS · AVG · LIB
5 · · IGR · · NVS · ·

Gualterus n. 265 = 325 a Constantino Caietano collegii Gregoriani Romae conditore et ibi praeside⁷ (inde Mur. 4006, 5; Torremuzza X, 4); Auria *hist. dei Vicerè* (1697) p. 209 qui vidit.

1 AVG Gualt., M·AVG Auria. — 5 sic Auria, AIGRANIVS Gualt.

XX. PANHORMVS (Palermo).

(cf. C. I. Gr. 5551—5575 cum add. p. 1249.)

Πάνορμος Graece Latine est Panhormus (masculine Mela 2, 7, 118; cf. *secunda Panormos* Silius 14, 261) vel Panhormum (neutrius generis Plinius 3, 8, 90). Aspirationem cum agnoscant et nummus unus aetatis Augustae (*Panhormitanorum* Mionnet 1, 280, 631) et post Augustum scripti tituli quos habemus omnes (n. 7270—7275. 7279. 7281—7283. 7286), in nummis aliis iisque numero pluribus Augustae aetatis est *Panormitanorum* similiterve (cat. numm. mus. Brit. Sicil. p. 125 n. 43. 44. 47). Sed magis visum est orthographiam sequi eam, quae post receptum sermonem Latinum in Sicilia obtinuit. Urbs praeterea *Portus* quoque dicta videtur esse, si quidem recte sic explicui monogramma ER in scripto nummis quibusdam a magistratibus Romanis in Sicilia et Panhormi quidem ut videtur cisis (*röm. Münzwesen* p. 665); accedit *Portense kalendarium Panhormitanorum* (n. 7295). Panhormus cum in

Sicilia Carthaginiensi locum primum tenuisset (Polyb. 4, 33), postquam bello Punico primo Carthaginienses dominos cum Romanis commutavit, inter paucas insulae civitates fuit, quibus libertas et immunitas concederetur (Cicero Verr. 3, 6, 13). Cicero conventum fuisse Panhormi significat Verr. 1. 2, 26, 63), praeterea raro eius meminit. Extrema aetate liberae rei publicae quaestores sedem habentes in monte Eryco (v. p. 747) quos nummos ferirent cudisse fere Panhormi viri docti probabiliter statuunt (*röm. Münzwesen* p. 665 quique ibi citantur). Apud Plinium 3, 8, 90 Panhormus licet non inter quinque colonias, sed inter oppida numeretur, Strabo ait coloniam eo missam esse (6, 2, 5 p. 272: Πάνορμος δὲ καὶ Ῥωμαίων ἔχει κατοικίαν), idque confirmant tituli duo n. 7286 *colonia Panhormitanorum* memorans et alter n. 7279 in quo quod legitur ducit ad *col(oniam) Aug(ustam) Panhorm(um)*. Urbs